



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 93. Iter Ludovici XIII. in Aquitaniam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

Sæc. XVII.
A. C. 1615.

§. XCIII.

Iter Ludovici XIII. in Aquitaniam.

Serran.
Franc. Hist.
pag. 928.
Caimet l. c.

Omnes hi Principum timores, aut Calvinistarum molimina Regem a suo itinere, cui diem decimam septimam Augusti præfixerat, retardare haud poterant, priusquam vero Ludovicus XIII. Rex sese itineri accingeret, versus eam Aquitaniam partem, qua Francia Hispaniam contingit, Bufcodelphinum progredi iussit, ut Condæum, suosque forte a tergo Sequanæ, & Ligeris irrupentes cohibere posset. Bufcodelphini autem exercitus sexdecim peditum millibus, cataphractis mille quingentis, & ductore Bassomperio levis armaturæ Equitibus bis mille constabat, castra metabatur Prasli ius, eisdem vero in subsidium dabatur Escurius, ipsemet denique Rex ducentis super mille cataphractis, & legionariorum quatuor millibus levi exercitu stipatus, præfixa die iter aggressus est, latera ejus stipantibus Guitio, Ellebovio, Elpernonio, & Uticensi Ducibus; ceteri enim ex Primoribus partim Condæi signa sequebantur, partim sub vario obtentu otiose domi fortunæ successum præstolabantur. Tertia post discessum die Rex, ejusque Mater, una-

Sæc. XVII.
A. C. 1615.

unacum Elisabetha Regis Sorore, ac futura Hispani Principis uxore Aureliam, indeque tandem Burdegalam die prima Octobris venere, magnifica prorsus pompa, communique lætitia excepti. Die autem decima septima ejusdem Mensis Hispaniæ Legatus Regem & Reginam convenit, Elisabetham in Principis sui Hispaniæ Hæredis Sponsam petiturus, quæ ad Archiepiscopale Templum deducta a Cardinale Surdisio, ac ministrantibus ei duobus Episcopis solemni precatone Sponso suo conjuncta est, absentis Sponsi partes subeunte Guisio Duce. His peractis nova Sponsa die vigesima prima Octobris in Hispaniam magnifico, planeque Regio comitatu deducta est. Videbantur Hugonottæ iter hoc vi armata præpedituri, huncque in finem copias contraxerant: plus tamen terroris, quam damni in iis fuit. Continuato demum itinere die nona Novembris Elisabetha Annam Hispani Regis filiam ac Ludovici XIII. Sponsam ad fluvium Bidassum obviam habebat: Hæc enim jam in oppido Burgos Ludovico Regi desponsa Burdegalam contenderat, cui Rex cum omni Aulica familia, ac pretiosissimo apparatu ad tertium ab urbe lapidem obviam processit, eamque ad diversorium suum inter festivas populi bene

bene

Sæc. XVII. bene precantis acclamationes, atque
A. C. 1615. applausus deduxit. Die autem vigesi-
 ma quinta ejusdem Mensis Sanctonum
 Episcopus in Choro ad S. Andream so-
 lemni, publicoque ritu Annam Hispani
 Regis Filiam Ludovico Regi despondit.
 Tandem die vigesima nona Novembris
 Rex unacum nova Regina solemnem
 ingressum in urbem celebrabat.

§. XCIV.

*Intempestiva Surdisii Cardinalis pie-
 tas erga quemdam capite dam-
 natum.*

*Gramond.
 l. c.*

ENIMVERO ad Franciscum Surdisium
 Cardinalem atque Archiepiscopum
 Burdegalensem solemni precatione Lu-
 dovicum Regem cum Anna in Metro-
 poli sua conjungendi munus spectabat, ob-
 stitit tamen quidam inopinatus eventus;
 cum enim Haucastellus Nobilis ob quod-
 dam delictum Burdegalensis Senatus
 iudicio ad mortem damnatus esset,
 Surdisius ea die, qua reus ad patibu-
 lum traducendus credebatur, pro libe-
 rando amico suo in carcerem propera-
 bat; præferebatur Crux Archiepisco-
 pis præire solita: Crucem stipabant sa-
 tellites ad effringendum carcerem de-
 stinati, moxque solutis vinculis reus li-
 bertati redditus, carcerisque custos,
 qui